Elegiae et hymni sacri varii.

M. A.

Hymni (quindecem) totidem mysteriis sacratissimi Rosarii respondentes.

Lublini. 1639.

QVINDECEM HYMNI TOTIDEM MYSTERYS SACRATISSIMI ROSARY RESPONDENTES

AB

A. M.

Affectata ſimplicitate conſcripti.

LVBLINI.
Anno Domini 1639.

Illuſtri & Magnifico Domino,

D. NICOLAO COMITI

Ab Oſtrorog,

POTILATORI REGNI POLONIÆ

Supremo, Rohatinenſi, &c. Capitaneo,

Domino obſeruantiſsimo.

ROſarium hoc meum, offero Tibi Illuſtris & Magnifice Domine. Opus nulli à me fortaſſis expectatum: quis enim talia non potius à viro ſacris initiato expectaret? Scribendum tamen ideo iſtud exiſtimaui, quod à nemine alienum eſſe putem, Deiparæ cultum omni qua poſſit ratione promouere. Offerendum autem Tibi ideo cenſui, quod ſperem, ea Te mea ſuſcepturum facilitate, qua me ipſum complecti benignitate ſoles. Nomen autem meum, ideo primis tantum literis attigi, ne, ſi hoc aliquid malum eſt, à nomine authoris deterius eſſe videatur: ſi bonum, minorem apud cenſores gratiam inueniat. Lege Illuſtris & Magnifice Domine Et ſi ita Tibi quoq; fuerit viſum, reproba. Et Saul, inter Prophætas in poſterum non comparebit. Lublini V. Maij A. D. DC. XXXIX.

Tuæ Illuſtri Magnifiáentiæ
obſequentiſſimus
A. M.

PARS PRIMA.

HYMNVS I.

MAgnæ canemus Virgini,
Res eius, eius filium:
Hæc dulcis, hic pijssimus,
Nobis sit adiutorium.
Te nempe Temporum Pater,
O Mater & virguncula,
Sui parentem Filij,
Signauit antè sæcula.
De te, Prophetæ mystico
Sunt ominati carmine,
Quod redditura perditam
Eras salutem germine.
Tu sola de nepotibus
Euam repræsentantibus,
Concepta, tacta non eras
Notis originalibus.
Tu dignitatis proximæ,
Statusq; pro custodia,
Ioseph mariti prouidè
Descendis in sponsalia.

Vrgente cælos interim
Promiſſionis fædere,
Delapſus ad te fulgido
Orator eſt ab æthere.
Aue perorat cernuus
Orator almus, gratiæ
Dicitq; plenitudinem,
A conditore gloriæ.
Euangelizat Filium,
Et germen admirabile
Tibi recenſet illius,
Nomenq; delectabile.
Stupeſcis ad rem Nuncij:
Sed nunciata Numine
Confirmat, ac Altiſſimi
Futura ſub velamine.
Hic illa demiſſiſſima
Emittis ore melleo,
O Virgo diuiniſſima,
Ancilla ſum Deo meo.

Hy-

HYMNVS II.

INuiſit, admirabili
MARIA fætu prædita,
Helizabetem, montium
Rigoribus non territa.

Exultat intra viſcera
Præcurſor, ad præſentiam
Cæleſtis Agni, ſic latens
Vidit latentis gloriam.

Magnos ſalutans hoſpites,
Erumpit in Propheticum,
Annoſa prægnans, & ſimul
Cognata vates canticum.

Matrem beatam concinit,
In vniuerſis matribus,
Fructum beatum clauſulis
Et ferre virginalibus.

Matrem beatam pro fide
Annuncianti credita
Conclamat, vnde nuncij
Res conſtitit non irrita.

Miratur unde diſparis
Indiſparem dignatio,
Quod mater ad ſe venerit,
Fæcunda tanto Filio.
Hinc inde factis dulcibus
Congratulationibus,
Orditur hoſpes aduena
Pæana de Magnalibus.
Deum celebrat, qui ſuæ
Demiſſionis præmium:
Qui magna ſecum fecerit,
Loquenda linguis omnium.
Qui vanitates irritas
Fecit ſuperbientium,
Quos abrogauit, in manus.
Dans ſceptra ſe timentium.
Egentis, affluentium,
Res vertit in contrarium.
Promiſſionum compotes
Patreſq; fecit omnium.

Hy-

HVcusq; Ioseph totius
Mysterij non conscius,
Defectionem cogitat,
Humanitate deuius.
Sed expediuit Angelus.
Hanc pectori formidinem,
Pandens inæstimabilem
Conceptionis ordinem.
Curam proinde certus est
Sponsæ puellæ sumere,
Curam sub integerrimo
Sponsaliorum fœdere.
Ac vt suorum redderent
Professionem nominum,
Vterq; sponsus, Bethleem
Intrant & ipsi Patrium.
Hic virgo mater infimum
Sortita diuersorium,
Cubile brutis hospitum,
Enixa dulcem Filium.

Hic increatum Filium
Componit in præsepio,
Hic prima brutis obtigit
Illius admiratio.
Audita cælo gloria,
Audita pax mortalium,
Voces, ad incunabula
Nascentis accinentium.
Quo concitata cantico,
Quæ turba tunc ouilia
Custodiebat, aduolans
Adorat ad genethlia,
Adsunt ab ortus cardine
Reges peregre gentium,
Inusitatum per viam
Sydus sequendo præuium.
Hi terna Reges triplicis
Mysterij donaria,
Diuina, diui conferunt
Infantis, ad crepundia.

HYMNVS

OCto dierum paruulus,
Legumq; lator omnium,
Legale fudit ſanguinem
Et ipſe per præputium.
Illic, IESV quolibet
Dulcore nomen dulcius,
Noſtræ ſalutis theſeram,
Tulit Mariæ Filius.
Defuncta Mater interim
Purgationis lucibus,
Ex inſtituto, filium
Siſtit ſacris in ædibus.
Excepit vlnis Simeon
Vadem futuri præmij,
Deſiderati diffluens
Poſſeſſione gaudij.
Nunc fata, tanquam debita
Iam fata, votis allicit,
Illuminandis gentibus.
Dum lumen ortum conſpicit.

Matri mucronem nunciat,
Natum ruinæ plurium,
Et prodijsse nunciat
Errectioni gentium.
Prophetat ANNA Phanuel
Deuotæ templo filia,
Promissa præstolantibus
Redemptionis præmia.
Dum principatus æmulum
Quærit, furitq; Regia,
Migrat, quod vrget visio,
Ioseph fidelis Patria.
Deducit hic virgunculam,
Deportat illa filium,
Ad regna priscis cognita,
Cunabulis gentilium.
Exegit hic periculum,
Confecit hic infantiam,
Vocatus inde filius,
Compleret vt Prophætiam.

Hy-

HYMNVS V.

IBant parentes à Sacris,
Desideratur filius,
Comes parentum, pro die
Celebritatis deuius.
Elapsus in frequentia,
E matris est custodia,
Vt missionis iam suæ
IESVS capessat munia.
Quàm sponsus ergo sedulus,
Et quàm genitrix anxia,
Quem perdiderunt omnia
Quærendo per diuortia.
Hic inter vrbis interim
Perita Legis Nomina,
Depromit argutissima
Responsionum fulmina.
Miratus est ætatulam,
Stupebat in peritia
Consessus audientium,
Supra stupebat omnia.

Hic nacta mater perditum,
Aggreßa non vt lætior,
Sed arguendum censuit,
Qua matre nulla mitior.
IESVS moratum Patrio
Se dicit in negotio:
Sed altior quam percipi
Tum poßet excusatio.
Crescit parentis vnicus,
Vtrisque sub custodibus,
Vtrique deuotissimè
Subiectus est in omnibus.
O perdecoram virginis
Iubendo masuetudinem:
O delicatam germinis
Parendo promptitudinem.
O vtriusque pignoris
Custodis integerrimi
Curas, in eius munere
Ioseph honoratissimi.

PARS

PARS ALTERA.

HYMNVS I.

ACcinctus est ad prælium
Rex gloriosus serium,
Laturus è victoria
Redemptionem gentium.
Qui terminatis debitè
Phase vetusti ritibus,
Mensâ stupendis vltimâ
Suos cibauit panibus.
Hoc institutum Fratribus
Reliquit, vt conuiuio
Redintegrando, perpetim
Autoris esset mentio.
Hoc institutum primitus
Complexa, nunc Ecclesiâ
Non terminabit, quatenus
Non terminentur omnia.
Et ecce, CHRISTVS vespere
Digressus à conuiuio,
Hortum relegit, intimi
Sequuntur è consortio.

Hic mæror illi, tædium,
Pauorque dirus ingruit:
Oransque guttas sanguinis
Sudore diro disspluit.
Sic æstuantis Angelus
Confortat ægritudinem,
Confortat illum, qui facit
Per cuncta fortitudinem.
Ac imminentis poculi
Vt auferatur potio,
A patre poscit, sed patris
Non detrahens arbitrio.
Ter prouolutus in precem,
Ter surgit, & sequacium
Miti suorum corripit
Sermone somnolentiam.
O mons & horte, quid paris
Inusitati criminis?
Iam turba vecors imminet,
Armata turba Solimis.

HYMNVS II.

PRæit cohorti proditor,
Aue dat, addit osculum:
Ad hanc, IESV, theseram
Iniecta vis & vinculum.
Protractus est indagine
Prætoriani militis,
Per mille contumelias
Inauspicati tramitis.
Tot probra, lusus, verbera,
Perpessus est ad atria
Ferocis Annæ, Presulis
Et in Caiphæ Curia.
Acceptus indignissimè
A Galileæ Regulo:
Reiectus est ad Presidem,
Albo notatus stragulo.
Agnoscit excusabilem
Romanus innocentiam,
Solam flagellis exhibet
Sed plebis ad vesaniam.

Arcet

Arcet columna nil minus
Quam restitantem restibus:
Diuerberatur vndique
Nudus ferocientibus.
Exercet immanis manum,
Funes, flagella carnifex.
In delicato corpore
Arando vulnus multiplex.
Ruunt scatebræ sanguinis
Non supputandis fontibus:
Vnum statura vulnus est,
Consica tota pluribus.
Nec tortor ipse verberum
Pœnæque plenitudine
Cessasset, ipsa debuit
Cessare lassitudine.
At Agnus, in tam barbara
Detractione vellerum,
Nec mite, nedum quidpiam
Est oblocutus asperum.

HY-

Hymnus III.

QVem vendicati perperam
Reum fremebant imperi,
Hûic talionem vindices
Excogitârunt efferi.
Pœnalis ex atrocibus
Spinis corona nectitur,
Pressuq; robustissimo
Fronti beatæ ponitur.
Cui cerebro condita
Cælestis est prudentia,
Diuum cerebrum sentium
Cuspis penetrat noxia.
Vt verò dira vertici
Impacta sunt acumina,
Recentiora sanguinis
Ebullierunt flumina.
Iniecta IESV *purpura,*
Vt vestis esset Regia:
Arundo sceptrum tradita,
Sunt regis hæc ludibria.

Regem ſalutant neſcia
Gens vtriuſq; germinis,
Dauide natum neſciunt,
Genusque ſummi Numinis.
Fatentur, id quod improbant
In cæcitate cordium,
Vox veritatem perſonat
Inuita mentientium.
In cuius omne nomine
Genu tremendo flectitur,
Diuaricato poplite
Ab improbis illuditur.
Vultum decorum conſpuunt
Inconditi Satellites,
Videre ſelectiſſimi
Deſiderant quem cælites.
Pugnos acerbos ſuſtinent
Genæ polo gratiſſimæ,
Sacroque Sancta tempora
Quaſſata ſunt arundine.

HYMNVS IV.

EN Præſes, ad libidinem
Voceſque depoſcentium,
Cruci feroci deſtinat
Dei Satoris filium.
Geſtat puellus Abrahæ
Rogo ſtruendo fomitem,
Geſtat redemptor brachijs
Quem ſuſtinebit ſtipitem.
Hac immolandus arbore,
Hanc iuſſus aram tollere,
Et ſub ſtupendo cernuus
Crucis labaſcit pondere.
Hunc proſecuta lachrimis
Eſt turba matrum, fletibus
Propenſa turba: vidit, &
Locutus eſt lugentibus.
Non hic dolendum, non ijs
Hic diffluendum lachrymis,
Natis parentes interim
Illachrymarent proprijs.

Occurrit afflictissimo,
Peploque tergens, vnica
Compassionis præmio
Fit dignior Veronica.
Typum reportat præmio
Vultus decori linteo,
Delineatum Sanguine
CHRISTI *dolentis aureo.*
Sed, & beata pluries
Simonis est angaria,
Cûi baiulandæ contigit
Crucis grauamen in via.
Beatus es, si conscius
Cui leuamen feceris,
Cuius ferendi particeps
Sis redditusque ponderis.
Hæc germinabit scilicet
Arbor, salutem gentium,
Irradicata Golgotæ
Dum surget in fastigium.

HYMNVS

HYMNVS V.

IAm nostra CHRISTVS victima
Crucis theatro tollitur,
Vtramque fossus per manum,
Vtramque plantam figitur.
Exorat occidentibus
Patrem, quòd ignorantia,
In innocentem sæuiat
Caterua sanguinaria.
Matri Ioannem filium
Matrem Ioanni Virginem,
Verbo supremo destinans,
Rei nouauit ordinem.
Siti, salutem qua sitit
Nostram salutis artifex,
Propinat intra spongiam
Fel ac acetum carnifex.
Pars sustinenti talia
Succenset intuentium,
Pars magna voce non negat,
Dei fuisse filium.

Alter latronum pendulus
A parte CHRISTI *dextera,*
Meretur efficaciâ
Confeſſionis ſydera.
Vi prægrauante denique,
Expirat ore Spiritum:
Latuſque ſanctum lancea
Confodit vnus militum.
Hinc ille noſtro prodijt
Fons eluendo crimini,
Magnìque fons myſterij,
Coniuncta limpha Sanguini.
Auertit his ab auſibus
Dum deficit ſol lumina,
Telluris, ad tantum nefas,
Commota ſunt fundamina.
Orat fidelis corporis
Ioſeph humandi copiam,
Et condit, ante conditus
Quo non ſepulchro quiſpiam.

PARS

PARS TERTIA.

HYMNVS I.

CHRISTVS ſepulchro prodijt,
Et mortis è ſeruaculo,
De quo ſepultus prodijt,
Eſt orta vita ſæculo.
Venêre ſero fæminæ
Venêre quæ diluculo,
Vt condiendo funderent
Vnguenta pro corpuſculo.
Iam non repertus ſoter eſt,
Intra ſepulchri tegmina,
Solus repertus Angelus,
Et ſola lintea mina.
Reſuſcitatum Seraphin
Dicit magiſtrum ſeruulis:
Qui vox videndum prębuit
Quærentibus ſe ſedulis.
In Galilęa ſoſpitem
Se pollicetur fratribus:
Narrant ſorores, ſed fides
Negata rem narrantibus

Oportet ambigentium
Ingreſſus vt collegium,
Victor, triumphi totius
Det ipſe teſtimonium.
Ab oſſe, carne, vulnerum
Et à recenti ſtigmate,
Sumpto ciboque, rem docet.
Non eſſe cum phantaſmate.
Interpretatis arguit
Ab vſque Moyſe vatibus,
His debuiſſe gloriam
Intrare Chriſtum paſſibus.
Thomæ ſatisfit Didimo,
Incredulo præ cæteris,
In glorioſo corpore,
Palpatione vulneris.
Et ordinauit vndecem,
In vniuerſis gentibus,
Verbo præeſſe myſtico,
Baptiſmatiſque ritibus.

Hy-

IAm CHRISTVS orbis annui
Lapſum ter vndenarium,
Saluanda quærens, conſtitit
In valle lachrimantium.

Quàm glorioſum tramitem
Nunc flectit ad cæleſtia,
Eliberata Tartaro
Secum trahendo millia.

Has redditurus copias
Erat paternæ curiæ,
Vt redderet rem prælij,
Bellator, & victoriæ.

Acclinat alas lucida
Nubes ab alto ſydere,
Et eleuatus occupat
Sedem paternæ dexteræ.

O fando non narrabilem
In Trinitate gloriam,
Incorporati Filij
Quæ fulſit ad præſentiam.

At fida præsens interim
In monte congregatio,
Dum sic euntem suspicit,
Offertur illis visio.
Duo togati, candidis
Apparuerunt vestibus
Viri, sed illi cœlites,
Mæstis & aiunt fratribus,
Hic IESVS, *ad cœlestia*
Sublatus est vt culmina,
Sic iudicandis omnibus,
Die redibit vltimâ.
Illi reuersi Sôlimas,
Et orbitatis tristia,
Promissione Spiritus,
Sancti leuabant tædia.
Veni creator Spiritus,
Tuos fideles visita:
Et vsque magnis ausibus
Mentes inertes, excita.

HYMNVS III.

VNá fuerunt, orphanus
Cùm matre cætus virgine,
Chorus virilis, & piæ
Vnâ fuerunt fæminæ.
Et ecce, de cælo sonus
Magni repente turbinis
Illapsus est cænaculo,
Sonus propinqui numinis.
Affulsit ignis desuper,
Arsit superque singulis,
Arsêre linguæ flammeæ,
Lucem daturę sæculis.
Hi vero, pleni Spiritus
Autoris affluentia,
Diuina linguis omnibus
Annunciant magnalia.
Reperta, plena gentibus
In vrbe, nulla gentium,
Quæ rite non se nouerit,
Ab ore diuinantium.

Stupeſcit ad plebeculæ
Infantis eloquentiam,
Confuſa mente ciuitas,
Vocumque tot peritiam.
Et æſtimator improbus
Vulgus, ſupernę gratiæ,
In Galilęis imputat
Diuina vinolentiæ.
Petrus refellit iurgium
Zelator, è Videntibus
Hęc in dierum termino
Futura prędicentibus.
Hic ordo lectus incipit
Apoſtolatus munia:
Suaque CHRISTO *quilibet*
Deſudat in prouincia.
Orbis penetrant inuia,
Et in Tyrannos inuolant,
Pro veritate denique
Seſe volentes immolant.

Hy-

HYNMVS IV.

AVe, secunda post tuum
Dei genitrix filium,
Quæ possides in corpore
Amęna iam cœlestium.
Decebat arcam fæderis,
O Virgo te, putredini,
Nascentibus quę cæteris
Communis esset, eximi.
Aueto, cûi dulcissimè
Obdormienti, mystica
Ab Angelorum cætibus
Cantata dulce cantica.
Aue, ministris Angelis
Assumpta de seruaculo
Telluris, & pellucido
Deducta cœli circulo.
Cûi consalutans obuiam
Effusa cœli Curia:
Quam natus amplexu pio
Appressit ad præcordia.

 Cui be-

Cui, beata Trinitas
Iam visionis abditos
Suæ recessus prodidit,
Vsuque fecit cognitos.
Aue virago Regia,
Cûi delicata filia,
Cælestis est clementia,
Aue reis fiducia.
Te, voce quęrunt supplice
Extorris Euæ filij,
Et inuocant suspirys,
In valle flentes tædij.
Aduerte tandem lumina,
O Aduocata gentium,
Tuumque, post hæc aspera,
Ostende nobis filium.
O tota clemens, ô pia,
O tota, dulcis, totauè
In castitatis lilio,
MARIA præpotens Aue.

Hy-

HYMNVS V.

MAter, regimen accipe,
Orbis regimen totius:
Regna creatis omnibus:
Dixit MARIÆ Filius
Quæ te corona temporum
Manebat à primordio,
Hanc imperatrix indue,
Cultuque fer pro regio.
Amicta solis circulum,
Lunam premas calcaneo.
Nobisque coniunctissima,
Throno sedebis aureo.
Tibi nouena cælitum
Deseruiat Hierarchia:
Te sponte reginam colant
Subiecta terris omnia.
Tibi libenter pareat
Magnum genus mortalium.
Per te, bonorum copiam
A me requirent omnium.

Et ipse,

Et ipſe, mater optima,
Parebo, nec ſuffragijs
Deeſſe poſſum, quæ piê
Datura ſis pro noxijs.
Hæc natus: at dulciſſima
Qua fulſerit tum gloria,
Humana mens non cogitat,
Non exprimit facundia.
Regina Virgo, Rex Deus:
Ad Regis eminentiam,
Accommodatam debuit
Regina ferre gloriam.
Regina Virgo, Filius
Rex: noluitne Virginem
Exuberantem gloriæ
Habere plenitudinem?
MARIA mater gratiæ,
Vtare priuilegio,
Et inuocantes noxios
Tuo iuua ſuffragio.